



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 5. Aquis per vim aut dolum interfecti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

§. V.

Aquis, per vim aut dolum interfecti.

Pausan.
in Pho-
cic. He-
rodot. l. 4.
Ioseph.
lib. 15.
Antiq.
cap. 3.

Publicè notum est de alijs, simili casu, dissimili euentu præcipitatis. Terat piscatum Palamedes, sed domum non rediuit; quippe ab Vlysse atque Diomede in aquis demersus. Quin & à proprio parente Etearcho, rege Cretensium, suasu nouercæ, Phronime puella in vndas proiecta est. Refert Ioseph⁹, Aristobulum Iudæorū Pontificem, Herodis regis dolo, in piscina, natātem, per ludi jocique simulationem, submersum esse. Vsq; adeò tyrānis ludus atq; jocus est, occidere. Rem ipsam accipe. Herodes rex, cū Aristobulum Pontificem, quia de genere erat regio, & populo gratus, è medio tollere cuperet, post prandium, comiter pertracto in opportunum locum adolescente; ostendebat se paratum in eius gratiam iuueniliter colludere. Cūmq; loci eius natura esset æstuosior, citò defessi, relicto ludo, magnis piscinis, quæ ibi circa aulam erant, imminentes, frigus captabant, meridiano tēpore. Ac primū spectabant natantes quosdam è socijs & famulis. Deinde postquam, pro-uocante Herode, adolescens quoque eis se miscuit; quidam amicorum, quibus hoc datum

datum erat negotium, deprimentes eum, natantem, & quasi per lusum ac petulantiam mergentes, non prius destiterunt, quam omnino aqua præfocatus sit. Hic fuit Aristobuli exitus, anno ætatis decimo octavo, pontificatus primo. Sic calidus juvenis aquis æstum temperavit, ut frigidum cadaver reportaretur. Et quidem hoc isti balneum ab Herode fuit præparatum. Sunt plures, qui laute occubuerunt. Nam, Zonara teste, Romanus Argypopolus Imp. cum ex hydrope convaluisset, natatorium ingressus, ut corpus laueret, Zoës uxoris & Michaëlis Paphlagonis adulteri dolo, à quibusdam subornatis eisdem capite sub aqua merso, oppressus, & pænè suffocatus, semianimis in stratum reclinatus est. Inde per os, subnigra eumens, nemine opem ferente, animam egit, cum annos imperasset quinque, & menses senos. Adeò non homines solum, sed tota etiam imperia aquis immergere possunt, humanæ, an potius inhumanæ manus. Clodovirus profectò Francorum rex, Gundobaldo, Burgundia rege, superato, Sigismundum eius filium, unà cum sorore, in puteum inclementissime demersit. Et Statyra, Plutarchi Darij

in Alex-
kand,

Darij filia, M. Alexandri vxor, Roxanam, quam Alexander quoque thori participem esse voluerat, prægnantem itidem, in puteum afflixit; solo ducta liuore, quò Macedones præcipuis honoribus eam cumularent. Innumeri sunt virorum feminarumque casus & exitia, ab ipsis eorum parentibus, filijs, maritis, aut vxoribus procurata. Quibus in medium allatis, agite Momi, *iudicio secundum juris formam conuenite; is cuius ea de re notio est, æstimabit*, dicetque: Vos aquis utimini, ad libidinem, ad æmulationem, ad crudelitatem vestram explendam; DEVS, qui aquas condidit, aquas iustitiæ vindices esse non iubebit?

§. VI.

Varia femina, quæ, præ insania, vel alios, vel se ipsas aquis peremerunt.

Enimverò iubebit, tantòque æquius iubebit, quia de cælo prospiciens videt, homines, ipsis aquis, aquas & flammam promereri. Quæ enim, malum, amentia est, homines, aquas in salutem datas, sibi in exitium conuertere? & cum aliorum manus defunt, propriæ vitæ carnifices fieri, seque ipsos, desperatissima corporis iactura, in vndis suffocare? Nam prorsus ex-

trema